



*976*

*S. f. 203*

*Theol.*

*Al v. 28. 405*

De  
**LEGIBUS MO-**  
**SAICIS**  
EPISTOLA  
*ad*  
Amicum,

*Qvā*  
De naturā illarum ac discrimine qvædam qvæstiones  
pertractantur.

ANNO M DCCIL.

LEGIBUS MO.  
SVAIGIS  
EPISCOPOLY

Aduachii

De usitg. illis in eis q. curiae datusq. ad hanc

Bellumq. annu.

anno M DCCII



Vir Clarissime,

Amice dilecte,

**Q**Væ inter nos de Naturâ Legum Mosaicarum, & qvod ex hac fluit, Discrimine , disputata nuper sint, meministi. Dignam eam esse ingenio ac doctrinâ materiam putavi, neqve adeo a studiis nostris, in qvibusdam qvidem diversis, in sacra-  
rum tamen literarum uberiori acqvirendâ cognitione oc-  
cupatis, alienam; præfertim cum Leges Mosaicas suâ serie  
expendere, qvæ ex omni antiquitate in illas commentati  
sunt viri doctissimi, & qvem usum obtinere qveant pericu-  
lum facere spectandi, laborem arbitrer, religioni proficuum  
& publicæ rei salutarem. Non itaq; arrogantiæ tribuas velim  
aut inscribendo temerati, sed cupiditati potius prosequen-  
di veri, qvod proh dolor! undique qvæsi arietatur, (utinam  
**A 2** **11**

cum tanto pietatis detrimento id haud fieret) ut aliquæ  
nunc repeatam, & pro eo, qvod virium subministratu, re-  
spondeam. Omnia non erunt, qvæ fortè examen requi-  
rerent, sed pauca solum, in qvæ cetera sunt resolvenda.  
Ita enim arbitror nos sentire debere, in omnia qvæ hinc in-  
de lucem vident, & speciem vel exiguum vel nullam veri  
habent, multis non commentandum esse; utpote qvò no-  
stra exornemus, aut qvid novi atq; in usitati apprehende-  
rimus ex ejusmodi autoribus commendemus, qvorum  
nomina scriptis autoritatem concilient. Sunt qvædam  
qvæ ne qvidem discussionem, aut minimūm prolixam non  
merentur, qvin potius cum sint contrà bonos mores aut  
contrà ipsam experientiam, non ratione, non literis aut dis-  
putatione indigent, sed sensu ac pœnâ juxtâ Philosophum I.  
*Top. XI. §. 9.* nisi forte cum adversario idcircò in arenam de-  
scendas, qvò doceas magis, qvam disputes, & ut blandien-  
do in viam contraria redigas sentientem. Equidem nec  
ipse ego nec alii mecum morem istum damnabunt, sed  
tanquam necessarium omnino jubebo, ut si qvid confiden-  
tiūs à malè informatis inculcatum fuit, & veritati aperte  
contradicit, id verbotenus afferatur. Sic enim evitantur  
adversariorum querelæ, qvæsi ipsis ægre fiat, dum verba  
omnium oculis & judicio haud exponantur, aut nihil isto-  
rum inveniatur, qvorum accusati sunt; ansaq; aliis malè  
suspicandi præripitur, qvæsi talia nostro animo volvamus,  
qvæ nullā magnā necessitate adacti magno conatu refuta-  
mus, imò si ad refutandum nos accingimus causam tam  
in fine deserimus, remissius eam agendo, sive id fiat per  
ignorantiam sive per negligentiam aut affectum. Ubi  
præstitifet vel strictim verbis in contrarium adductis in-  
hærere, vel non commemorare, qvæ tam nefanda sunt at-  
q; tam exosa. Attamen qvædam ita comparata est oratio,  
ut

ut verba aliorum, qvæ adducamus, non semper in promptu sint, interdum etiam grave sit ea audire, qvod fit in colloqviis ex tempore seu coram seu per literas institutis.

Ne ergò modum hæc epiftola superet, initium fiat à nominibus, qvibus statuta Mosaica indigitantur. Extant ea singulari ordine Deut. VI, i. unde, qvanqvàm alibi qvoque sed non eādem serie deprehendantur, plerumqve ab autoribus solent citari. Sed qvid magnoperè de verbis laboramus? qvis nesciat, qvoties hæc fenu suo ancipiti seducant, & qvis autorum ignorat de *לְמִשְׁנָה Legibus מִשְׁנָה statutis* & *מִשְׁנָה Judiciis*, varias sententias? Vide ergò qvæ mea sit hac dere sententia. Ex solis vocibus nemo varietatem elicit, nisi diversam legum naturam simul consideraverit. Ambigua hæc sunt, ut sunt vocabula Juris & Legis, nunc pro ipsius naturæ ordine ac veritate, nunc pro rectitudine humanæ voluntatis constanti & æternâ, ut regulam omnium actionum constituat, nunc & pro cuiusvis arbitrio in genere usurpata. Hinc etiam est, qvod Imperator in Institutionibus Jura Naturæ Gentium ac Civilia secus definiat Lib. I, Tit. II, de J.N.G. & C. secus Aristoteles V. Eth. X. & Cicero II. Rhet. XXII, secus vero Scholastici modernique Jurium aut Morum interpres; ubi tamen altera pars alteram explicat, & sententiâ exploratâ, qvam per voces designatam voluerunt singuli, inter se facili tandem negotio componuntur. Et sic qvoq; comparatum est cum Hebræis, qvorum qvidem nomina promiscuè adhibentur, ut patet ex II. Paral. XXIV. 21. & passim ex ipsis libris Mosaicis; at qvando cum Philosophis isti loqvuntur, omnino videntur observare discrimen. Ratio autem cur nec Moïses distinctè de judicis legibusq; naturæ loqvatur, hæc erat, qvod omnia jura, qvæ tūm inter Israëlitas sanciebantur, à Deo fuerunt profecta, atqve

hoc pacto unum inter se respectum habuerunt. Circa  
haec ergo cum Moses saltem recensendo versaretur, atque  
adeo Legislatorem non interpretem ageret, tanti non in-  
terfuit, quibus quæque nominibus exprimerentur, quanti  
erat, ut par in singulis monstraretur atque obtineret obli-  
gatio. Post vero Hebraei & ex his ipse Maymonides  
legum varia genera dictis vocibus caute indicarunt, ut vi-  
dere est Lib. III. Mor. Nevoch. cap. XXVI. Hos sequimur  
Christiani & distinctionem a noscimus præente vel ipso  
Grotio inter Ἀριστοτέλη & Αριστονέα jura ac statuta Lib. I. de Jur.  
B. & P. cap. I. §. 9. &, qui ad hunc locum commentatur  
Obrechto, qui cur deferendi, causam non video.

Pergas vero objicere & illud, quod, cum Leges Mo-  
saicæ in novæ reipubl. Judaicæ constitutionem promulga-  
ta fuerint, civiles omnes ac singulæ esse videantur; neq;  
esse, cur in iis vel justum illud universale quæratur, quo  
genus humanum inter se tenetur, vel arcana de religione,  
utpote quibus cum civitate, si justè sobrièque vivatur, ni-  
hil rei est. Ita quidem, fateor, videtur. At partem quo-  
que Philosophiæ practicam τολμείων sive Civilem dixit A-  
ristoteles I. Eth. Nic. I. I. Rhet. IV. & quis ideo negabit, do-  
ctrinam de fine hominis & virtutum exercitio eo non per-  
tinere, aut quis mores rationi ac naturæ humanae conve-  
nientes inde divellendas esse dixerit? nec enim solum ve-  
teres Philosophi felicitatem civilem in observatione deci-  
cori maximam partem posuerunt, atque hinc conjunctim  
tractarunt, quæ de moribus hominum secundum naturæ  
legem dirigendis agit, & quæ de reipublicæ gubernatio-  
ne, scientias, ut liquet ex Aristotele X. Eth. c. ult. I. MM. I.  
Pol. Lib. III. c. 6. & 12. VII. 13. sed nostris quoque seculis,  
quotquot hac viâ incedunt, idem præstitere. Hinc adeo  
Vir egregius Johannes Caselius singulis fere capitibus

ubi

ubi de politico recte ad gerendam rem publ. informando agit, præsertim *Cap. VIII. Prop.* ejusq; discipulus Conringius in *Propoliticis Cap. V.* & majori opere de *Civili prudentia de similitudine & cognatione civis boni viri que probi disserunt & summo studio istuc spectantia inculcant.* Constat & Grotium & Puffendorfum qvij in hos commentati sunt extrâ civitatem hominem non collocare, cui leges naturæ præscribant, sed qvod Aristoteles amicitiam, Cicero societatem vocat, ponere loco fundamenti; velint tamen nolintque necesse est semper non *Civis* tantum sed & *Hominis* officia eos describere, atqve à se invicem sejungere, qvod & opera eum in finem conscripta præferunt. Qvæ ergò nos cogat necessitas, ut, si civitatem populi Judaici describimus, mandatis ejusmodi qvibus ceteris virtute potenter evaderet & armis, à Deo instructam, jus naturæ, seu ut ab aliis effertur, legem moralem, commune gentium vinculum inde eximamus?

Sed fortè hoc tibi dubium movit, qvod Grotius invit *l. c. Lib. I. Cap. I. §. 16.* eos legem non obligare, qvibus data non est; at qvibus data sit Lex Mosaica, ipsam loqui: Audi Israel; & passim fœdus cum ipsis iustum. Lex autem moralis, qvæ per *תורה* seu præcepta vulgo dicitur indicari, non tantum in Judæis locum habere, sed ad qvosvis populos extendi debet, qvandò integra est ejusdem proprietas. Ad qvæ priusq; vñ respondet, lubet præfari, leges mosaicas partim ratione illius, qvod continent, spectari, partim ratione promulgationis. Et priori qvidem cum ea qvæ ubivis gentium dudum ob usum suum recepta erant & stabilita, tum, qvæ huic velisti populo ob conditionem loci, nationis, vel temporum maximè convenire solent, uno qvæsi ambitu, non observatâ origine unde profluxerint, modò novæ tunc ciuitati formandæ inservient,

rent, complectuntur. Posteriori verò, cum repetita faltem fuerint variajura, qvæ vel integræ vel aliquantum immutata, atqve ad accipiendum populo Judaico per divinam autoritatē proposita, facile liqvæ, novum tantummodo pæctum accessisse. Qvantadmodum ergo pæctum utramque solum pacientium partem obstringit, qvæ in hoc loco sunt ipse DEUS singulari ratione manifestatus, & gens Judaica præ ceteris selecta, ita nihil attinet qyinam legibus istis præter pæctum obligentur, velut perinde est, qvot ex eodem panno partem abstulerint, dum mea mihi eodem circiter pretio eademqve mensurâ vendatur.

Neqve obstat, qvod ipsi Judæi ante latam legem liberifuerint, & nullâ necessitate benè agendi legantur nisi post erectam remp. adstricti; cum pœnis saltem non legibus sic eximerentur, ubi nemo erat, qvi his valorem denuò imposuisset. Et solent, qvi nationum enarrant initia, ut etiam horum causas non omittant, corpus addere legum præcipuarum, qvibus, cum ante passim palantium more oberrarent, nunc ad fastigium suum fuerint evectæ, hoc verò, non qvod ignotæ illæ omnes, aut ex animis planè eraſæ, sed qvod maximè vim pristinam in novâ gente exeruerint, additionibus auctæ & novâ autoritate. Ita historiam Juris Romani describere videtur Pomponius Leg. II. de Origine Juris. Initio, inqviens, civitatis nostræ populus sine lege certâ sine jure certo primum agere instituit, omniaqve manu à regibus gubernabantur. Postea auctâ ad aliquem modum civitate ipsum Romulum traditur in triginta populum divisisse: quas partes Curias appellavit, propterea qvod tunc reipubl. curam per sententias partium earum expediebat. Et ita leges quasdam & ipse curiatus ad populum tulit, tulerunt & sequentes Reges, qd omnes conscriptæ extant in libris Sexti Papirii. Is liber, ut diximus, appellatur Jus Civile

vile Papirianum: non quia Papirius de suo quicquam ibi  
adjecit, sed quod Leges sine ordine latas in unum compo-  
suit. Exactis deinde regibus lege tribunitia omnes leges  
hae exoleverunt, iterumque caput populus Romanus incerto-  
magis jure & consuetudine ali quam per latam legem.  
Pergit postmodum ad originem Legum XII. Tabula-  
rum & ad disputationes forenses, & sic in Romanis ce-  
terorum imperiorum potest videri exemplar. Qvæ-  
cunque ergo de origine & incremento Legum dicun-  
tur, distinctius naturam harum & varietatem addens,  
exponat Justinianus l.c. §.i. cum populum dicit Roma-  
num partim proprio suo, partim communis omnium homi-  
num jure uti, eo certe, quod naturalis ratio inter homi-  
nes constituit, & quod apud omnes homines peræqvæ  
custoditur; imo vero quod ipsum divina providentia  
constitutum esse, & semper firmum ait & immutabile  
permanere §.ii. Cum quo si conferas Livium, doce-  
bit ille Lib. I. sub init. sub adventum Æneæ in Italiam  
fœdus inter duces idem, inter exercitus factam saluta-  
tionem, Æneam apud Latinum fuisse in hospitio, hu-  
jusque filiam uxorem duxisse. En itaque ante Romu-  
lum, ubi Pomponius populum sine lege vixisse & sine  
jure dicebat, vestigia legis naturæ, en humanitatis offi-  
cia, in quibus concessâ licet omni libertate, illud Impe-  
ratorum Antonini & Severi obtinuisse: *Licet Legibus*  
*simus soluti tamen Legibus vivimus.* Nostris tempori-  
bus ad exemplum Moscorum provocamus, de quibus  
Olearius Itin. Pers. Lib. III. cap. 20. memorat, quod ante-  
hac scriptis paucis legibus & consuetudinibus ab Im-  
peratoribus quibusdam introductis, tantum contrâ pa-  
tria & majestatis proditores, fures, latrones, ac debito-

res usi sint; ceteroqvi ex affectu judicaverint & arbitrio. Anno autem 1647 prudentiores ex omni sorte mandato Imperatoris convocatos integrum jurium corpus concinnavisse typis deinde excludendum cum inscriptione *Soborna Ulosenia*: das einhellige und gesamte Recht. Nec tamen ideò ante collectas has leges nullis eos obligatos fuisse, sed contra naturae ordinem securè omnia suscipi potuisse, qvisqvm sapiens aut statuat aut scribat. In aliis eadem ratio est, qvod eruditè deducit Conringius de Juris Germanici origine. Ad Gentem vero Judaicam si applicemus, qva dicta sunt de Romanâ, ista primùm cum ex Ægypto discesserat, non pactis inter se nec ullâ conventione scripta coverat, nisi qvod in unam fugam omnes consenserent, & sic manu qvasi regia à Moše gubernarentur. Dato tamen à Jetrone consilio *Exod. XVIII.* ut præfecti, centuriones atque decuriones per singulas tribus constituerentur, populusqve divideretur in classes, ne absqve lege sive ageret populus sive lites dirimerent judices, uno istoc corpore, qvod hodiè adhuc videmus, norma, qvam sequerentur, conscripta. Qvæ qvò majorem vim fortiretur, qvam vel in aliis gentibus vel antehac in Judæis obtainuerat, divina accessit autoritas, præter qvam nihil Judæis objectum, nihil publicatum fuit, qvod qvempiam cogeret. Sed postea observatum fuit, post obitum Mosis & Josuæ in pejus iterum abiisse libertatem. Ante Mosen vero, ne dicam de præceptis septem Noæ, de variis pactis Abrahami extant historiæ, ut & de emitione & venditione filiorum Israëlis, qvæ quid aliud sunt, qvam vincula amicitiae & societatum per naturam humanam ligata?

Fa-

Facto jam de libertate differendi principio, ulterius  
ad eam describendam progredior, atque hanc natura-  
lem Principi æqvæ ac subditis permittendam esse, &  
vel maxime ideo, quoniam libertas per Christum re-  
cuperata id svaldet, custodiendam volo cum Puffendorf-  
fio; in licentiam nolo degenerare. Omnia alias  
cum licerent, non liceret esse bonum, & ut brevi di-  
cam, nihil liceret, immo nec vivere, demitis ad vitam pro-  
movendam auxiliis. Eqvidem docuit experientia,  
quantum huic libertati sœpè offecerit legum naturæ ni-  
mia coarctatio, adeò ut ad istius fines concipiendos  
vix qvispiam nisi rerum exactè peritus dignoscat prin-  
cipia, unde circumscribenda sit. Prosternat legum co-  
pia innumerabilis, augentur quotidiè jura hominum  
voluntaria uni forte alterive reipubl. salutaria, hac sem-  
per specie, qvasi ab ipsa natura injungantur, cum ta-  
men naturæ potius præcipiant, cui superadduntur.  
Quod si naturæ omnia adscribenda sint, quæ DEO de-  
bentur, quid opus fuit revelatione, & cur tanto nisi eos  
refutamus, qui capita religionis Christianæ ex eodem  
principio deducunt? siq; ipsa natura constitutiones  
qvasdam injunxit à principe pie ordinatas, cur easdem  
detractant alii, simili alias necessitate adacti, cum quæ  
jure naturæ præcipiuntur manifesta suâ bonitate debe-  
ant elucescere? Non ergo ad naturam referenda sunt,  
quæ naturæ repugnant, neq; inde derivanda vel ex-  
pressa divinâ voluntate nata, vel solo consensu ac con-  
suetudine, nisi hominis veram ac nativam libertatem  
tanquam perspicillo majori spectare velis, eiq; omnia  
arrogando, ad eosdem cum collibitis præceptis cancel-  
los redigere. Quid Grotius in enarrandis Pacis Bel-

liqve juribus intenderit, exinde manifestum, qvod se  
feritatem non Christianis tantum sed & hominibus in-  
dignam, qvam gliscere tot populorum malo qvotidie  
videbat, qvantum in se esset sedare voluisse scribit;  
qvod ut eruditè præstaret, thesaurum illum, |qyem sibi  
tot annis scriptorum cùm sacrorum tum profanorum  
lectione comparaverat, in hunc laborem profudit.  
Per ipsum ergo salua manserunt cuiqve juri principia,  
nec cum sacris subjeceret profana, atqve his illa, ultra  
forum singulorum progressus est, sed, scriptoribus voces  
juris naturæ & gentium alioqvi permiscentibus, non qvi-  
dem jurium discriminem ex ipsis testimoniis, sed ex ma-  
teriæ qualitate intelligendum esse fatetur. Et qvem-  
admodum Salicetum, qvi diu ante Grotium librum edi-  
derat, qvem inscrispit: *Discorsi Politici Utili in Pace e*  
*in Guerra, al Reggimento de i Prencipi*, non ideo Polit-  
ticam Artem vel Ethicam tradere voluisse, ita nec Grot-  
tiuum Jus Naturæ certa qvadam methodo per Jus Belli  
& Pacis docuisse sed illustrasse dixerim. Sed verò  
dum peccant contrà naturæ libertatem, qvi ejus jura ad  
qvævis statuta pertrahunt, multò minus ferendi sunt  
eam plane summoventes, qvod faciunt, qui in ampli-  
ficandâ omnem modum excedunt. Sanè non hoc  
est ducem naturam sequi, vitiis ac nequitiae fenestram  
aperire; sed hoc est vivere more brutorum, quæ non  
legibus aguntur, sed stimulis. Nec enim, inquit Cæ-  
lius Propol. cap. XVII. putabimus, cæcos animi impetus,  
affectus turbidos, acres cupiditates, versutiam & insci-  
tiam magis esse naturâ sive nature, quam rationem &  
scientiam: quarum neutra existit sine alterâ: certè hac  
sine illâ cogitari non potest: & illâ hanc semper aliquam

pa-

*parit.* Ecquis sensuum libertatem amississe dicet, qui scapham scapham vocat, verèque percepta defendit? Quin istum potius, qui nihil statuit, nihilque credit, vel concedit, vinculis arbitror teneri, tām fortibus tāmq; tenacibus, ut captivis inde vix detur emergere. Quare omnino necesse est, ut intellectus etiam humanus certis regulis alligeretur, cum sensibus sūi stent fines, imo cum DEUS semetipsum rebus semel creatis accommodet, æternum suum ordinem dum totæ destruantur servantibus.

Ac tantum quidem de his dictum est, quæ legum Mosaicarum, Moralium præsertim, naturam, ac distinctionem ab aliis, tollere videbantur; supersunt & alia. Primo enim vetus hoc imperantium proverbium est, Imperatorem legibus dominari, modò salva sit respubl. Aristoteles *Lib. III. Polit.* ipse miratur, & contrà natu-ram videri putat, in regno absoluto regem secundum voluntatem suam omnia gubernare, imperiumque tene-re in cives, quorum similis est conditio. Necessarium enim esse, illis, quorum similis est qualitas naturalis, idem esse iustum, eandem conditionem, & dignitatem secundum naturam eandem. Atque extant plura hanc rem concernentia apud Barcijum contrà Monarchomachos, libello, quo fastigium absolutæ regum potestatis contrà adversarios defendit atque determinat. Sed facilis est responsio, acceptâ eâ conditione, ut benè sit reipubl. Qui enim ullibi gentium Princeps sine naturæ legibus, sine morum pietate ac fide, salvam potest præsta-re rempublicam? Profectò autem talis ista mihi vide-tur determinatio, ac si dicerem, DEUM posse totam suam essentiam destruere, modò id ejus perfectioni

congruat. Hac ludere potestate non virorum est, sed  
puerorum in triviis, quique jam primum de potentia  
garrire incipiunt. Proferant in medium quantum pos-  
sunt Barclajus, & qui ejusdem sententiae de absoluta po-  
testate sunt, eò res tandem redibit, eatenus imperantes  
solutos esse legibus virtutum, quatenus, quæ istis injun-  
guntur, haud faciunt coacte. Qvō spectant verba Bar-  
tholom. Cavalcanti *Discurs. I. de Rebuspubl.* harumque  
variis speciebus: Si potrebbe dire, che nel regno assoluto  
è governa la legge, ch' è nella mente del Re, piena di virtù,  
e perciò è tanto miglior legge -- che quell' uomo tanto ec-  
cellente è legge; Dici nempe posse in regno assoluto esse &  
gubernaare legem, quæ est in mente regis, plenâ virtute sua,  
tantiòque legem esse banc meliorem, quod homo tam ex-  
cellens lex ipsa sit. Ipse etiam Philosophus, qvō non ul-  
trà legem efferatur dicta potestas, aut crudele affectet  
dominium, Tyrannum eo ipso à rege distinguit *Lib. V.*  
*Polit.* Vult, inquiens, rex esse custos, ut qui divitias ha-  
bent, nihil injustum patientur, nec etiam populus afficiatur  
contumeliis. Tyrannus autem ad nullam communem re-  
spicit utilitatem, nisi gratia proprii commodi. Est autem  
objecrum Tyranni, QVOD PLACET, regis QVOD  
HONESTUM. Taceant ergo, qui nullum morum  
fundamentum præter voluntatem magistratus agno-  
scunt, & quasib[us] omnia ex utilitate metiri debeat. Ta-  
ceant qui sic præpostere prudentiam politicam cum  
legali rectitudine committunt, ac si altera alteram tol-  
lat, aut integra civitas ejusque Imperator non æquæ  
ad justitiam servandam obligatus sit, atq[ue] civis quis-  
que privatus, sed propter reipubl. commodum nefan-  
da quævis audere, Cæsarisque dictum male prò violan-  
do

do jure applicare debeat. *Vid. Grot. l.c. Proleg. §. 21.*  
*& Tesm. in Not.* Labem utique Lipsio infert, qvodo libello Politicarum Institutionum ceteroqvi elegantissimo *Lib. IV. c. 14.* fraudes imperantibus sine causa commendat. Levi malitiæ rore aspergit principum à virtute haud longè abeuntes actiones, qvod maculam ei aspergit non levem; longius virtutem à se flectens, ad vitii venit confinia, qvæ causa est, cur ad virtutis naturam veram scientia non pertingat, male memor istius qvod ex Se necā adduxerat:

*Ut nemo doceat fraudis & scelerum vias,*  
*Regnum docebit.*

Nolo nunc in eum animadvertere, qvem refellere Constantia debuisset, qvod facit Obrecht *l.c. lib. III. c. I. §. 9.* bonæ causa indulgentius tractata infestus. Qvam longè meliora sunt ea Caselii, cum *l.c. Cap. VIII.* A qvo, inquit, non nisi bonum expectes, aut qui nihil aliud prestat; perfectum, ut ita loquar, hominem esse oportet, qui nemini illis rebus fraudi esse velit, qui peccatus ab omni labore expurgatum habeat, qui non qvibusdam adumbratis & commentitiis, sed solidis & regis virtutibus ornatus sit. Ut adeò nihil haec principem juvent, qvâcunq specie vel religionis vel publicæ salutis protegatur, lex est bonus qvibusque viris dudum agnita atque recepta. Laudes forte historiam, qvæ extat apud Livium *Lib. I. c. 2.* qvam vel nuper qvispiam in scripto, ex Anglico idiomate in Germanicum verso, ut huic nationi confilia qvædam pro securitate suppeditaret, in subsidiū vocavit. Ejecto nimirū Tarquinio Romano-

Ium

rum Rege, Brutus consulem ejusdem nominis, cui propter cognatum Tarqvinium aduersus erat, pro concione sic alloquebatur: Meminimus, fatemur, ejecisti reges. Absolve beneficium tuum, aufer hinc regium nomen. Restuas tibi non solum reddent cives tui autore me: sed si quid deest munificè augebunt. Amicus abi, exonerat civitatem vano forsitan metu. Ita perswasum est animis, cum gente Tarquinia regnum hinc abiturum. Idem Brutus postmodum etiam ad populum tulit ex SCto, ut omnes Tarquiniae gentis exules essent. At quam male hac via Bruto res cesserit, quem cum Collega P. Valerio non tam publica quam propria injuria fecerat animosum, testatur historicus in sequentibus. Statim enim bellis acerrimis populum implicavit, in quibus a Tarquinio Brutus confosus, & Valerius ob affectatum regium nomen populo diu fuit suspectus. Nemo igitur tam praeceps consilium facile fvaserit, quod innocentes etiam amicos ferit, adeoque tristi eventu nunquam solet carere; & quanquam unius forte per tempus effugiat, alterius utique poenam nationis, nisi praeter solam utilitatem causa subfir, magno suo damno incurret. Exemplis recensito annumerandis jam non immorabor, quae alias sat copiosa obvenirent. Unde est, quod Icti prudentiores in vindictam ab integrâ familiâ sumendam agre consentiant, utut expressa ejus Lex adfit Lib. V. C. ad L. Jul. Maj. quae tamen cum sit in odium personæ lata & innocentibus valde videatur injuriosa, æquitati nihil adimit. Vid. Grot. Lib. II. c. 21. & Commentatores. Quandoquidem itaque tam periculosares est principum supra Leges Imperium, nisi honestate temperetur, & virtutem habeat pro fine, hinc por-

porrò concludere licet, statum populi Judaici eò minus  
tām iniquo regimini subjectum fuisse, qvo erat ille Deo  
propior & præ ceteris gentibus felicior. Quid causæ  
erat, qvod Moses ubique locorum divinam autorita-  
tem citaret, qvod huic etiam jura summitteret aliundē  
omnium confessione innotescientia, nisi qvod sibimet  
tantam vim nollet tribuere, qvæ qvibusvis legibus su-  
um adderet pondus? cum tamen inter Mosen & reli-  
qvos imperantes insigne adhuc observetur discrimen.

Videndum nunc est de qvæstione: an secundum  
veritatem divinam de lege naturæ ejusqve bonitate, an  
ex alio principio judicandum? ut sic etiam pleniū  
constet, ex qvâ causâ dependeant leges Mosaicæ. In  
DEO veritatem esse, qvæ nec captum humanum nec  
scientiam excedat, non obstante qvod ea infinita sit,  
docent saniores philosophi. Prout enim linea pars  
tem visione asseqvi, totam longitudinem non pos-  
sumus, sic etiam pauca ex essentiâ divinâ cognosce-  
re, sed integrum homini non licet. Deinde & hoc  
statuunt, hominum actiones eò perfectiores esse, quo-  
sunt divinae veritati propinquiores. Qvod si ergo  
veritatis nulla certitudo esset, nulla quoqve esset  
comparatio, siquidem cum rem, qvalis in se est,  
non cognoscimus, qvomodò ejusdem cum reliquis simi-  
litudinem ac nexus demonstremus, qvomodò insti-  
tuendum examen? Est verò lex naturæ, qvæ, cum  
ordini à DEO creatis rebus indito innititur, exemplum  
seqvitur divinum, & eo modo qvæque jubet, qvo  
DEUS vult, conservare. Atqve ut homo inter crea-  
turas maximè eminet, utpote in quem pars omnium  
nobilissima, ratio, collata fuit, sic vel maximi interest,

ut dignè illam ad sustinendum in seipsum & in cetera  
imperium exornet. Et benè faciunt, qvi qvicqvid ra-  
tioni deest, ne ulterius progrediatur, de eo eundem  
DEUM, à quo cetera habent, accedunt, ut iterum ma-  
nifestetur; ex quo est religio, summam partem omnis  
scientiæ, qvà ad felicitatem vergit, & qvà augetur, com-  
plexa. Qvodsi ergò nec nos DEUM, neqve DEUS se-  
metipsum comprehendenteret, atqve hoc omni obstaret  
notitiæ, falleretur DEUS docendo, falleremur & nos  
confidendo. Ideòqve cur veritas divina principium  
juris naturæ esse nequeat, curqve ejus obstat infinita  
essentia, non video; qvin potius ita cum Conringio ali-  
isqve judico, esse qvandam in actionibus humanis ve-  
ritatem, esse bonitatem, qvæ æterna sit, neqve adeò  
scientiam respuat. Cumqve vera qvævis ac bona se-  
cundum ens verissimum atqve optimum dijudicari de-  
beant, & commodè qvoqve posflint, non est, cur in ali-  
um fontem doctrinam de morum bonitate deflecta-  
mus. Puffendorfius aliam in jure naturæ methodum  
elegit, jam diù qvidem etiam à Cicerone observatam,  
sed a nemine adhuc tam magno conatu illustratam;  
ubi qvæ faciunt ullo modo ad societatem, justa dicun-  
tur & decora, rebusqve humanis præcipue responden-  
tia. Placet hæc via propter facilitatem, placet qvoqve  
propter usum, qvem præstat in dubiis civilibus; talis  
tamen non est, qvæ alteram tollat. Interim verò ex utraq  
origine si jura naturæ deducas, firmo semper pede-  
stant, sive à societate hominum ad veritatem divinam  
regredire, sive ex veritate divinâ judices de societi-  
tum constantiâ; & hanc in Scholis illam in Civitatibus  
spondere meliora compertum fuit, nec nos de his plura.  
**Cum**

Cum autem humanæ rationi cum æternâ DEI re-  
rumqve omnium veritate conveniat, ut potè inter qvæ  
talis similitudo est, qvalis inter mensuram & rem men-  
suratam ; inde nova oritur in judicio confirmatio , ut  
geminum qvasi in ipsâ re & ejus imagine fundamentum  
sit. Scilicet ex historiis non solum facta cognoscimus,  
vel à communî hominum natura promanantia, vel con-  
traria, sed & ipsorum hominum testimonia habemus,  
qvibus illa, qvæ recta sunt, comprobantur, qvæ injusta,  
rejiciuntur. Atqve hoc quidem satis est pro vero in-  
dictio, qvod omnium gentium initio qvasi universali con-  
fessu adstruitur, præcipue si simul causa manifesta, qvâ  
falsus humani generis, & civitatum tranquillitas, quâ ad  
unum indigemus omnes, conservatur. Nihilominus  
tamen non ex impositione hominum valere, qvæ bona  
ab iis asseruntur, putandum erit, aut à voluntate divinâ  
contingere, qvæ eam perficiunt; aliás DEum esse, cum  
qve æternum, immutabilem, infinitum, ac immensum  
esse, cum ubique locorum ac gentium, quò mens præ-  
valet superstitioni, id approberetur, DEusq id approbari  
consentiat, per eandem impositionem verum esset, vel  
minimum in traditionem solam abiret: quod impru-  
denter defendant Sociniani, & ferè nescio, an Grotius  
cum his sentiat, quanquam melius ex illius intentione  
judicem. Notum enim est, imò esse debet, non ideo  
verum esse aliquid, quia creditur, sed ideo credi, quod  
verum est. Et quanquam unum sàpè ab altero se jungi-  
tur, & inverso ordine per hominum fidem ad veritatem  
accedimus, tamen vis unita fortior est, & magis tuta  
via, ut existunt, res cognoscere. Ideòque hæc deum  
aurea illa libertas est, ut omni tempore ducem ratio-

nem sequi liceat, & testibus potius veritatis, qvām ipsi  
veritati judicio evadere superiores; non eam, quā se  
quis immunem à peccato pronunciat, si vim intulit ve-  
ro & rectum repudiavit. Eoq̄ majori fiduciā nitimur,  
inconcussa semper stare naturæ jura, cum anteā ab ipsâ  
veritate, non ab ejus professoribus solummodo edocti  
esse forsitan videamus, qui extrā oleas vagentur, quiq̄  
vel legem istam æternam ē cœtu suo sustulerunt, vel  
pro lubitu contrā ejus valorem egerunt. Hi sanē aq̄  
minūs sapientioribus præjudicare debent, atque alii,  
qui sub incultis mundi regionibus viventes, cultissimam  
possidere putant, & qui benè omnia se habere, ubi se  
mutuo devorârunt, qvod detestamur, aut crudas sal-  
tem dapes deglutiunt, vel nudi cum aliis versantur, à  
qvibus moribus nos abhorremus. Multò minūs na-  
turæ legumque cursum impediunt, qui contrā sentien-  
tes non statim verbis refutant, pœnisve coërcent; licet  
his aggeribus inclusus ille rectior fluat, & magis laba-  
tur sedatē. Quām in rem benē Anton. Augustinus in  
*Emendationib. Lib. IV. c. IV.* neque, inquit, *Alcianum no-*  
*strum audio, dum probare se alicui putat, eo capite Ulpia-*  
*num nolle furtum naturā turpe esse dicere, sed more civi-*  
*tatis, qvod Ægyptii & Lacedæmonii impunita furta reli-*  
*quissent. Qvāsi verò perversæ aliquorum mentes possint*  
*qnicquam ex divinâ omnium consensione pervertere; apud*  
*Perfas à matrum concubitu non abstinere jus erat, non igitur*  
*id naturā probrum est? Ut mirer proinde, Anglum quen-  
dam vel nuper eō seduci potuisse opinione suā, qui statuat*  
*direptiones, latrocinia & stupra, qvæq̄ his nequitia respon-  
dent, oblectamenta esse generis humani, hâc certe de  
causâ, quod in hâc vicia gentes, quas dicit, maximè ex-*  
*cultæ*

cultæ non ultima exerceant supplicia. Adeòne verò novum est, vitiis passim contrà poenas præstari receptus? & numquid inusitatum, supplicia alibi locorum ex officio leniri, alibi exasperari? Sane prout clementiam in suis laudat Livius, magnōque dicit honori nulli gentium mitiores placuisse pœnas, qvam Romanis, Lib. I. 28. Sub fin. ita merito ejusmodi leges prohibentur, qvibus qvi ab alterā parte defecerunt, receptorunt, cum in conditum præcipue soleant recidere, ut est in Thucydide I. p. 23. Necj ergo, cum alias paterni affectus sit, delinqventibus parcere, & injuriam dissimulare, id ubique approbabitur, qvod in expositiones ac neces infantum ultra, qvam par est, sese mites Romani exhibuerint. Ut ratiōnē levitatis ac infamiæ notā nihilominus maculata esse, qvas in ejusmodi sceleribus deprehenderant; qvemadmodum, si qvis hodiè lupanaria Romæ visitaret, id quidem faceret impunē, at non sine honestatis ac famæ lēsione, qvod argumento est, talia, utnt per magistratum sāpē liceant, non licere per æquitatem, & conscientiam.

Præter consensum verò rationis ac gentium, qvem utilē idē vidimus, qvod naturæ honestatem ac felicitatem confirmet, & extrosum his qvasi robur addat, sequitur etiam veritatem, vel præcedit socialitatem, quod sit per has conditiones Naturæ jus immutabile. Firmitatē verò hanc labefactant autorum, vel contrariē vel minus idoneē pro jure dictæ sententiae. Restrigit, qvod haud opus erat, Puffendorffius de J. N. & G. Lib. II. c. 2. tūm quidem, postquam à DEO creatus est homo animal, qvod citrā observationem Legis naturalis salvum esse nequit, DEum nolle legem nature tol-

*lere, aut mutare, quamdiu naturae humanae nullam infert mutationem. Quia ratione morum probitatem cum sola hominum naturae conjungere, infirmo certe nexu, & inde tanquam origine sua deducere videtur. Sed cum illa bonitas quaedam sit, atque sic certo respectu etiam veritas & totius naturae perfectio, non liquet, quam obrem harum rerum existentiam homini magis quam ipsi DEO tribuere debeamus, cum ne huic quidem quatenus non est ipsa veritas, ipsaque bonitas, ac perfectio tantum habeamus honorem. Dicam apertius: per se ipsa bona sunt, sunt per se vera & perfecta, non quod talia esse velit DEUS, sed quod, talia non esse, velle non possit. Fac ergo, ut Deus aliquando tolleret humanam naturam, juris naturae simul existentiam atque usurpationem mutaret, ipsam essentiam, & attributa ejus tollere non possset. Atque hoc ipsum est, quod DEUM O. M. adegit, ut in naturam aliquando introduceret, id quod immenso intellectu inter infinitam bonorum compaginem ab aeterno conceperat. Et mansisset hoc utique bonum, ut ut nunquam humanae nature fuisset adjectum. Formaverit Deus hominem aliâ ratione, anne ideo bonum, quod in ipso nunc est, in DEO esse quaunque ratione desisset? nullâ certe ratione. Quid ergo nunc facit istam juris naturae constantiam? veritas est, quae nec per DEUM nedum per homines tolli potest, vel determinari. Dicas, per tempus posse, cum omnia tempore aboleantur, & vel magis vel minus circumscribantur; posse & per nostram ignorantiam fieri, ut putemus quid juris esse naturae, de quo dies aliquando docuerit rectiora. Et sic sane multa iam concessa fuissent, si quam olim aliquoties factam legimus, hu-*

humanam rationem, quae nobis a natura indita, exulta  
per naturam, abrogasset non perfecisset revelatio. At  
cum longe alia doceant & Philosophi & Theologi pru-  
dentiores, nihil his sententiae nostrae decedit. Quid in po-  
tius cum consilia salubriora a DEO data fuerunt, cum  
pietas & religio renovata, aucta monitis necessariis at-  
que proficuis, id ideo contigit, quod antea meliora in  
desvetudinem abiissent, & sic inculcatae sunt aliæ natu-  
ræ leges, non sublatæ, aliæ vero munitæ. Quid in spe-  
cie attinet exempla ex sacris literis ab Abrahamo & I-  
sraëlitis ex Aegypto migraturis desumpta, quibus con-  
traria mandaverit DEUS naturæ ordini dudum recepto,  
non omnia vident, quibus ea dubium movent vel exi-  
guum. Sanè nec Israëlitæ vi abstulerunt vasa Aegypti-  
is, nec Abrahamus filium trucidavit. Itud Exod. XII.  
35.36. appareat, ubi cum Aegyptii abitum populi urge-  
rent, petiisse dicuntur vasa & vestes pretiosas futuris so-  
lennibus induendas, & ab Aegyptiis haud aegrè obtinu-  
isse, cum hi perdidissent vel majora, dummodo mala a se  
averruncassent. Nisi enim de reditu Israëitarum du-  
bitassent, abitum tamdiu non timuissent aut retardas-  
sent. Abrahamum vero DEUS ob fidem laudat, quæ  
etiam DEUM huic necessitati, summae sanè, ut videbatur,  
ac inevitabili remedio fore repertum statuebat  
Gen. XXII. 8. nec dubium est, integrum eam eodem  
momento fuisse, quo manum in filium injecturus erat,  
cum DEUS nec sibi alias absque fide obediri velit. Por-  
rò, cum in civitate casus emergunt, dubii & utrinque  
ratione bonitatis incerti, cum verbi gratia, innocentibus  
mors illata, bona direpta, infictæ contumeliaz, ut ut  
vel maximè pertalia societas incrementa capiat, non ta-

men

men his jus naturæ invertitur; sed, & qvi nescii, peccarunt, & qvi volentes commiserunt ea, qvodq; vim pietati intulerint, serò dolebunt.

Fuerunt ea, qvæ de jure naturæ, cujus auxilio non possunt non qvælibet inter se conjungi societates, memoranda; ubi qvidem veram ejus originem causasque & propria videre licuit, imò & necessitatem, qvæ à republ. bene instituendâ divelli nequit. Ex qvo simul apparet, non unum Mosen fuisse, à qvo media illa, qvæ in gubernando populo Judaico imprimis necessaria, nisi cetera collaberentur, pro lubitu omitti aut mutari potuerint; sed potius cum ceteræ leges agminatim subjungerentur, decalogum primo loco datum fuisse, & omnibus ac singulis denuo propositum.

Qvando verò de Jure Naturæ disputamus, istuc nec ceremoniæ referendæ sunt, prò illo custodiendo præcipue qvoad officia erga DEum, subnexæ, nec leges fori eò pertinebunt, naturalibus prout reipubl. Judaicæ intererat, supperadditæ; sed qvod principis est, ut tales ille ritus, tales constitutiones ac pœnas injungat, qvalec certo fini addixerit, eodem jure usus est Moses. Imò qvod DEus huic præscripsit, id divinæ potestati adhuc magis in acceptis est referendum; præscripsit autem omnia, qvod nulli unqvām, qvi vixerunt, principi contigit. Qvod si autem de fine rituum præcipue sacrorum in fœdere veteri qværas, eorum qvidam ita comparati sunt, ut intellectum nostrum qvoad causas plerasque fugiant, qvidam verò præterqvām qvod rationem proximam insinuant, etiam respiciunt longius; omnes populum ordine & obedientiâ continebant. Præbuisse autem exemplar regni futuri longè excellenteroris

tioris, in qvo Messias majori aliquando lumine minus  
offuscaret, ritibus abrogatis, semetipsum spectantibus;  
initiaq; adeo & formam hujus status adumbrasse, nec  
Abarbanel & Maymonides negaverint Judæi, nec Spener-  
cerus & forte etiam Marshamus. Qvalem etiam finem  
DEus intendit, utut non or: nibus primo qvovis tem-  
pora obvium. Qyod nisi eset, cur ipse Christus olim  
de se dicta, cur Paulus magno labore in epistolâ, ad He-  
bræos scriptâ, de Christo eadem adducit? cur præter  
intentionem divinam talia dixerunt, totum religionis  
negotium concernentia? Aut enim DEus ea intendit,  
aut scriptores præter divinam intentionem prodide-  
runt. Qyod si prius est verum, vera est & firma The-  
ologorum de fine legum ceremonialium sententia. Si  
vero contigit posterius non DEO debemus, tam san-  
ctum religionis nostræ cum veteri Judaicâ arctumque  
consensum, sed hominum ingenis, repugnante Petro  
*II. Ep. I. 20. 21.* Regeras, tûm quidem DEum id ratum  
habuisse, cum temporis eset, ut ex eventu omnia con-  
flarent; ante vero, qvâ haec panderentur, scopum in  
reipubl. Judaicæ salutem unice directum. At neque  
qui hoc defenderit typos vel attingat, nedum removerat,  
neque qui illud, salvam præstet divinam providentiam,  
qvâ ventura non modò longè prævidet, sed & prævisa  
ipse definivit. Qyod si & hoc urgere velis, sic in pro-  
clivi esse, quævis sibi mutuò adaptare, dum quis saltu  
ingenio valeat, & voluntatem divinam istuc deniq; vi  
qvasi pertrahere; qvin & varcinia esse, & eodem ne-  
gotio, qvæ in N. T. alio fine proponuntur, ad res futu-  
ras, qvoties DEus Ecclesiæ faciem commutayerit, posse  
applicari. Scire interest, Sacram Scripturam hodiæ ex

libriſ veteris pariter ac novi Testamenti conficiendam  
eſſe, cui ſi qvid infertur, qvò longius à verbis ejus aut  
mente recedit, eò minoris eſt pretii. Sint jam typi  
vel figuræ illatae, qvæ neq; clarè ibidem indicantur, neq;  
vel mutu, qvas ſanè, modeſtæ modò ſint, non rejicimus;  
attamen tanti non facimus cum ſacris innatis, ut à Deo  
dicamus profectas. Sic abundet qvisque inventioni-  
bus, humanæ manebunt; neque unquam id fastigium  
aſſequentur, qvod Scripturæ ſacræ per divinam inspirationem  
accedit. Qvod autem in N. T. umbræ ſint ven-  
tura respicientes, ſanè nemo negabit, qui vitæ hujus im-  
perfectionem cum futuræ felicitate conſerre, notitiam  
utrobius expedere, & Paulum audire *I. Cor. XIII. 12.*  
Petrumque *II. Ep. I. 19.* operam dederit. Judæi Eliam  
expeſtant clauſtra reſeraturum, nos Christum, illi in  
terreno, nos in cœleſti regno optimum interpretem;  
quo tempore continget, ut DEUM velut eſt, & in eo  
Christum, & omnia intueamur, quem in hac vitâ faltem  
per *σχηματα* & ſimilitudines licuit aspicere. *Vid. Sald. I.*  
*c. p. 287. ſqq.* Displicet itaque ſententia, typos omnes  
tanq; fallaces & incertos rejiciens, & credo potius  
noſtrates Theologos, Franzium, Gerhardum, & præci-  
puè B. Chemnitium *LL. Theolog. de Lege DEI,* magno  
cum judicio, religione & induſtriâ typos evolviſſe, et  
amq; in rem ſanctissimos patres conſulviſſe; ut adeo  
dum qvæſtionem hanc pertractamus, pauca iſtiſ addere  
liceat, quæ non dudum viderint, & ſatis eos tantum ſe-  
qvendo habeamus. Qvod ſi tamen vacat, de Typo-  
rum Veteris Testamenti Uſu & Abuſu adde Saldenūm,  
*in Or. Theol. Lib. II. Exerc. III.* Actantū de ceremo-  
niis, ex quo patet, qvām ſint eæ à ceteris legibus toto  
cælo

celo diversæ. Nec obest, in eo cum ceteris convenire,  
quod ordinem civitatibus inducant; siquidem unus al-  
terve respectus generalem non parit. Sique in specie  
ad singulas progrediamur, haud eviderem video, cur  
non oneri potius quam ordini imponendo inserviant, cui  
aliâ ratione facilius suisset consultum, id quod Apostoli  
etiam plus simplici vice permonuere *Act. XV. 10. 28.*

*B1.1.3.8* Quæ vero de ceremoniis earumque legibus jam  
dicta, non debent ad morales etiam vel forenles exten-  
di, utpote quæ non sacra sed profana, nec tam capita si-  
dei vel religionis Judaicæ, quam tranqvillitatem reip.  
respiciebant. Et rem omnino tangere videntur, qvot-  
quot Leges Judæorum forenzes describunt, quod fue-  
rint negotia eorum civilia pro defendendâ disciplinâ  
externâ secundum utramque Decalogi tabulam tam in  
causis civilibus quam criminalibus. Nec; tamen hinc  
argumentari licet, cum in Decalogo ipsa crimina  
lateant non committenda, aut præcepta quædam  
ex amore proximi derivata, etiam præcepta forensia  
ibidem contineri. Fundamenta quidem horum adsunt,  
dum universalis injungitur justitia, at modus judican-  
di, litesq; recte finiendi, qui fori est, omnino desidera-  
tur. Imò si hunc quoq; videmerimus adjectum, non ta-  
men ideò peccata, circa qvæ modus ille judicandi vel  
disciplina versatur, evaderent civilia, nisi ea contrâ  
DEum, contrâ alios, extrâ eandem societatem viventes,  
& contrâ ipsum deniq; autorem simul commissa ne-  
gare velis. Sint e.c. Leges duodecim Tabularum pas-  
sim pœnis quibusdam aliisq; circumstantiis munitæ,  
nec tamen ideò in gratiam fori, sed DEI & totius huma-  
ni generis, ipsiusq; justitiæ, quam homo homini de-  
bet

bet, non quam civis civi, promulgatae; qualia sunt, di-  
vos castè adire, pietatem adhibere, falsum testimoni-  
um non dicere, fidem non fallere, non occidere, non  
furari, & quæ plura, non ideo forensia, qvod in foro  
puniuntur, cum alias, haeresin non esse inducendam re-  
ligioni, præceptum etiam esset forense. Atque hic in-  
signe inter ipsos actus legales bonos vel turpes, & ho-  
rum premia aut penas discrimen est, qvod magistra-  
tus in judiciis seu foro haec augere vel mitigare, quin  
& interdum tollere queat, prout civitati conducit, illos  
vero minime. Judæi id perquam commodè exprimunt per *Sepimentum legis*, de quo pecu-  
liarem dissertationem habes Frischmutii, quod qui se-  
pimentum struit vel destruit, vel illud exaltat atque  
amputat, nihil rei habeat cum horto, nisi quod  
proventum ejusdem studeat conservare. Hinc  
adeò licite quidem in forensibus, hoc est, in modo  
custodiendi leges naturæ seu morales, non vero in  
his exeqvendis, varii sunt populi, & perinde est  
quomodo suum cuique tribuatur, dum modò id fiat.  
Et propterea *Theophilum decipi*, ait Ant. Augustinus  
*Emend. l. supra cit.* cum existimat furem jure gentium pe-  
cuniâ multandum, qvod nos persimili damno afficerit.  
Quanquam enim jure gentium prohibitum furtum sit, ta-  
men, inquit, eam paenam naturalis ratio non inter omnes  
homines constituit. Nam ut illos preteream, qui furto fa-  
rebat, *Draco Aibeniensis* fures capite puniri jusfit, & ex  
*Lege XII. Tabularum* non solum nocturnum furem semper  
occidere licebat, & cum interdiu se telo defendebat, sed &  
manifesti fures liberi verberabantur, & his addicteban-  
tur, quibus furum fecissent, servi verberibus cœsi de saxo  
pre-

*precipitabantur; cuius rei Gellius Lib. 2. cap. 18. j. 109  
est. Atq[ue] hinc salubris legum est mixtura, quâ nisi in-  
ter se omnes temperentur, qvam facilimè dejicietur  
respubl. Qvod si verò in singularum elementa inqui-  
ras, sique imprimis entia moralia à ceteris sollicitè di-  
stingvas, ut in illis ostendendis accuratissimus est sub  
initium operis de Jure N. & Gent. Puffendorffius,  
facilis est observatu inter Crimina lìa atq[ue] Civilia  
distinctio. Porrò etiam videndum, quid in genere e.  
gr. de Sacrificiis aut de Sabbatho statuerint gentes, aut  
qvousq[ue] pervenerint, qvid sola qvædam natio, qvid  
plures conjunctim sentiant, & undè scientiam suam  
hauferint, id qvod nosse, ad ritus Judæorum cùm Eccle-  
siasticos tūm civiles ab officiis humanitatis distingven-  
dos, utilissimum erit; & haroum labor est, qvem hāc de  
causâ subierunt Seldenus, Grotius, viriq[ue] alii præstan-  
tissimi. Tūm demum, qvæ sit Legum omnium Mo-  
saicarum cognatio, qvæ causæ & qvi valor, & qvæ tan-  
dem circā singulas magistratum extiterint officia a-  
bundē constabit. Et sane non tantum omnes ad felici-  
tatem civitatis Judaicæ fecisse videbimus, sed etiam ali-  
os fines qyamplurimos fuisse, viris piis ac prudentiori-  
bus notissimos, materias diversas, judicia distincta, &  
gradus delictorum, horumq[ue] effectuum, omnino dissimiles.  
Qvæ si quis negaret, eodem loco eum habue-  
rim, ac si Corpus Juris in Imperio Germanico receptum  
esse assereret, qvod hujus usui inserviret, & rectum  
conservaret in qyocunq[ue] statu; sed supervacaneum  
ideò laborem & condemnandum fuisse, qvem e.gr.  
Clafenius in Criminali, Struvius & Schilterus in Feudali,  
Carpzovius in Consistoriali & Civili, Puffendorffius in*

Naturali & Gentium Jure, separatim pertractando, impenderunt. Unde & hoc fueret, non esse diversas judiciorum species constitutas, non alios statui praeficiendos, non alios Cameræ dirigenda, non committendas aliis constitutiones de Feudis, alii de delictis capitalibus, alii alias, propter munera diversas, quæ reqvirunt, & singulariter peritiam, easdem vero, cum felicitatem civilem intelligas, quò ultimò tendunt. Enim vero satis superq; in antiquitate Judaicā probatum est, quos Moses *Exod. XVIII.* dicitur judges per singulas tribus constituisse, illos tractasse negotia privatorum circā fortunæ bona passim exorta; cum Levitarum esset curare, ut omnia rite in sacris peragerentur, offerrentur sacrificia, mundities loca & personas sacras ornaret, ex quibus & aliis certe quamplurima dependebant, tantam hominum copiam requirentia. In utrosque curam habebant pauci, qui de bellis gerendis, de extendendis finibus imperii, de annonâ comparandâ, unde viverent, qui dabant, & qui accipiebant, de sumtibus minuendis augendisque, qui ad splendorem religionis ac gentis externum faciebant, de festis instituendis, unâ cum Mose & Aarone consultabant. *Conf. Goodvini Moses & Aaron.* Qvod si jam munera distincta leges quoque suas peculiares tenere solent, quoniam nemo ad agendum nascitur aptus, opus erit, ut si dextre ubicunque versari velis, mentem afferas de singulis informatam. Esto, hunc jūdicem ab alio quid sumere mutuò, esto, unam eandemq; legem in variis iudiciis locum habere, esto denique, omnes in uno fine concurrere, tamen remanebit distinctio. Et sic non uno quodam capite, sed in plenisque à se invicem abeunt leges Mosaicæ, vel Ecclesiam exornantes

ornantes, unde sunt sanctæ illæ, ceremoniales dictæ; vel rempubl. ita conservantes, ut nemo in eâ de injuriâ queratur sibi illatâ, qvò faciunt forenses illæ ac civiles; vel deniq̄ cum Ecclesiam tūm rempubl. dirigentes, ut leges utrobiq̄ in promptu esse, & commode sic in usum traduci possint, qvo omnia lata extent, neq̄ vel turpitudine vel tristitia animi obtorpescant; id qvod præstant leges morales ac politicae ad DEum, unde initium habent, & ad veritatem proximè accedentes. Qvæ vulgaris est distinctio Legum V. T. meo quidem iudicio, mutatis saltem verbis, à Judæis desumpta, qvos inter judicia, statuta, & leges, ut suprà vidimus, discrimen concipientes, seqvitur Lyra Comment. in Deut. VI. I.

Qværas, si distinctio hæc refenta, cur ipsas leges abrogaverint, hodiè eundem fortè, ut qvondam, usum præstiruras? qvicq;id enim sacra & civilia bene in republ. disponit, qvod fecisse putantur Leges Mosaicæ omnes, id nostris qvoq; temporibus tam necessarium est, qvām qvod maxime. Laudamus verò Mosen ejusque regimētum, leges Hebræorum cum Græcis Romanisque conciliant viri docti, ritus sese affabré invicem excipientes admiramur, cur ergò non una nobis Lex permanet cum Judeis? imprimis cum nec ipse Servator noster nec Apostoli qvicq;am circā cultum externum, aut formam reipubl. immutaverint, utpote qvæ pertinebant ad res seculi. Respondeo, qvi repetitionem Legum Mosis urgent, non esse satis rerum Theologicarum æq; ac civilium gñaros. Cum enim libertate opus esse, cerneret Sanctissimum Numen, qvā ad fidem gentes per totum orbem diffusæ converterentur, umbras removere ipso lumine radiante maluit, qvām his naturam constrain gere,

gere. Deinde etiam hinc colligimus, citra utrumque  
cum jus forense cum ceremoniale Judaicum civitates  
posse conservari, quod docuit experientia, neque adeo  
tanta cum morali esse necessitatis. Svalent itaque duae  
haec rationes Politicis Theologique notissima, ne nim  
ium arbitriariis legibus tribuendo progressus insignioris  
sacræ æqvæ ac civilis fortunæ impediamus. Nodos  
quæ speciatim hic necesse possem, aliorum differo.  
Hæc verò si ansam dederint plura de tali materia cogi  
tandi, vehementer quidem lætabor, campum nos dispe  
rendi invicem indeptos esse; longè tamen vehemen  
tius, si veritas quoque vim suam, prout haud  
dubito, Tibi exuerit. Vale, & res Tuas  
age feliciter.



AB:153118

X 2351607

ULB Halle  
007 111 053





B.I.G.

Black



De  
**LEGIBUS MO-**  
SAICIS  
E P I S T O L A

*ad*  
Amicum,

De naturâ illarum ac discriminâ qvædam qvæstiones  
*Qvâ*  
pertractantur.



ANNO M DCCII.

